

intelligentiam; S. Cyprianus, lib. II *Testim.* cap. II, legit, « corrigite scientiam et intelligentiam; » Syrus, *vias rectas cogitate.*

7. QUI ERUDIT DERISOREM, IPSE INJURIAM SIBI FACIT: ET QUI ARGUIT IMPIUM, SIBI MACULAM GENERAT. — Syrus, *qui corrumpit flagitiorum, capiet sibi ignominiam.* Dat causam cur (1) parvulus et simplices, qui facile momenti cedunt et credunt, advocarit, non versuto, nota derisores et impios, in sua impietate obstinatos (hos enim opponit parvulis et insipientibus): quia scilicet derisor, utpote superbus et tumidus, deridet monita et monitores. Hebraea, Cajetanus, Jansenius et alii Quare qui eum monet, « injuriam sibi facti » (Hebraea et Septuaginta, *accipit ignominiam*), primo, quia exponit se suaque risu et ludibrio derisoris.

Secundo, quia imprudentie notam sibi accersit, quod sine fructu, imo cum damno, derisorem corripiat. Facit enim contra illud sapientis, *Ecclesi.* cap. xxxii, vers. 6: « Ubi auditus non est, non effundas sermonem. » Et contra illud Christi, *Matth.* vii, 6: « Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculeent eas pedibus suis. » Ubi nota primo, per sanctum et margaritas significari doctrinam Evangelii et veritatis; per canes et porcos, perversos et obstinatos, idque propter immunditiam et rebellem oblationem. Vetat incorrigibiles ergo docere et corrumpere, quia, ait, illi velut porci sermones suis appetibus et immunditiam contrarios contemnunt et calcant, deinde vero acuntur in sermonis ancorem, eumque vel verbis vel verberibus lacerant. Nota secundo, hoc intelligendum per se: nam per accidens Christus, S. Stephanus, Paulus et alii perversissimis Judaeis praedicarunt, eorumque incredulitatem acriter corripuerunt, tum ut publicum perhiberent testimonium veritatis et glorie Dei, tum ad contestationem inexcusabilis impietatis improborum, tum propter aliorum adstantium utilitatem, et vitandum scandalum. Tunc enim sancta non dantur porcis, sed potius Deo et electis ejus.

Tertio, quia causa vel occasio est, ut derisor gravius peccet, dum peccatum suum tueri satagit, in eoque se obfirmat, ac momenti detrahit, obmurmurat, eumque deridet. Unde Plutarchus: « Perinacem, inquit, in delicto monere perinde est, ac speculum caeco objicere, » qui putans se quamque caecitatem rideri, objicienti indignatur, in eumque savit et furit.

Quarto, qui irritat derisorem, ut reddat talionem, ut scilicet eadem vel similia vitia in corripientem retorqueat, et petulant lingua probra in eum reciprocet, ut illa sua tegat vel propugnet. Unde S. Gregorius, libro VIII *Moral.* cap. xxiv: «

« Scirpus in flore, inquit, est hypocrita in laude. In flore suo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus, ne hunc quicumque corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis secat. Sanctus namque esse non appetit, sed vocari; et cum fortasse corripitur, quasi in opinionis gloria detruncatur. Deprehensum solum private irascitur, sibi loqui redarguentem prohibet, quia quasi in oculo vulnere tactus dicit. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus aestimari; et paratior est mori quam corripi.

Ex dictis liquet perperam Aben-Ezra pro derisorem, vertere in nominativo derisor. Derisor, inquit, qui arguit alium, ipse sibi ignominiam accersit. Quod enim qui alium arguit, deridet, ostentatque risum et cachinnum, tunc sibi confat dedecus. Corruptio enim facienda est gravi maturoque vultu, non irrisorio. Perperam, inquam: nam omnes alii vertunt derisorem, in accusativo, aequae ac impium, de quo sequitur.

Isdem de causis, « qui arguit impium, sibi maculam generat, » praesertim quia impius in impietate obstinatus insuper conatur alios ipsunumque arguentem ad suam impietatem pertahere, ejusque culpa vel suspicione maculare. Hebraea est, et qui increpat impium, maculam ejus, scilicet sibi attrahit vel adauget et multiplicat; Chaldaea, et corruptio impij macula est ipsi, tum impio, tum corripienti; Septuaginta, *arguens impium maculam seipsum.* Nonnulli codices addunt, *corruptionem enim impij livores sibi, q. d.* Si corripias impium, quot verba, tot livores et dolores lividos videsquos ei intelligis, qui proinde livorem indignationis, maledicentiae et vindictae stillare non cessant, ut momentem vel verbo, vel verberere reverberet, illique dolores et livores pariles, tum in corpore tum in animo vicissim impingat.

8. NOLI ARGUERE DERISOREM (Septuaginta, *malis; Syrus, scelustum*), NE ODERIT TE. ARGUE SAPIENTEM, ET DILIGET TE. — Est antithesis corruptionis derisoris et sapientis, quod illa creet odium, haec dilectionem, ideoque haec sit amplectenda, illa omittenda: utpote quae tam corripienti quam correato, quem ad odium aliaque peccata excitat, et quasi irritat, est damnosa. Per sapientem intellige sapientiam, id est virtutis, studiosum, vel etiam in sapientia et virtute perfectum: nam perfectio hujus vitae mixta est cum imperfectione; nemo enim tam perfectus est, qui non habeat nonnulla vitia, quae corrigat. Unde S. Gregorius loco jam citato: « Redargutione, inquit, deterior redditur, quia quasi dira percussione astimat jaculum puritatis verbum. Unde exasperatus protinus in contumelias surgit, et quae mala exaggerat, contra vitam correatoris inquit. Demonstrare longe incomparabiliter reum reprehensorem suum desiderat, ut innocentem se non suis acibus, sed alienis criminibus ostendat; ita ut sepe homo redargutionis aliquid se dixisse poenitet, et quasi a carpentis manu, sic a corripientis animo quidam, ut illa

dixerit, sanguis mæroris currat. Unde bene per Salomonem dicitur: Noli arguere derisorem, nec oderit te. Neque enim justo timendum est ne derisor, cum corripitur, contumelias inferat, sed ne tractus ad odium pejor fiat. »

Sapientes vero et sancti diligunt corripientes et correptionem, quia per hanc diriguntur ad morum emendationem et vitam perfectionem. Sapientis ergo diligit correctionem, quia diligit veritatem et virtutem: virtus enim est veritas. Quid enim aliud sunt dictamina virtutum, nisi lumina veritatis? Impii vero amant vitium, ideoque mendacium. Quid enim est vitium, nisi mendacium praefictum, quo malum pro bono appetitur et laudatur? In illo ergo verum est illud Comici: « Obsequium amicos, veritas odium parit; » ideoque correctionis medicina ei vertitur in venenum. Igitur sicut sol ceram liquefacit, lutum indurat: sic correctio et veritas a sapiente blanda, a stulto et in odio dure accipitur; ac in illo amore, in hoc odium parit. Audi Patianum, *Parænesi ad parententiam*: « Ut oemum solet tunc maxime fatere, cum mores; et ibendium tunc maxime ardere, si veritas; et rabies tunc maxime savire, si provocet: ita illi oburgationis necessarie stimulos contrario calore frugerunt, non sine suo quidem malo et vulnere repugnantes. Nam a Domino dictum est: Argue stultum, et odio te habebit. Rursum, sicut vinum mellis infusum melle scit, felli vero mixtum felle scit; et sicut aqua infusa vino vinescit, aceto vero mixta accedit, imo illa in vinum, haec in acetum transit; insuper sicut terra lapidosa et senticosa omnem humorem et pluviam in lapides, sentes et vepes commutat, terra vero mollis et pinguis pluviam in herbas et flores transfert; denique sicut stomachus bonus cibum in bonum succum et sanguinem convertit, stomachus vero biliosus cibum in bilem vertit, non vitio cibi, qui bonus et suavis est, sed vitio stomachi, qui amarus et biliosus est: sic et iter sapientis correptionem in amorem, impius eandem in bilem et odium traducit, non vitio correptionis, quae bona est: sed vitio impij, qui cor habet superbia et ira infectum.

Moraliter, hic nota correptionem sapientis esse amandam et ambiendam, sicut amator sal, licet asalum, ad condendas carnes; et pilula, licet amara, ad expurgandos malos humores; et lixivium, licet acre et mordax, ad deficiendum sordes capitis: ut pari modo per correptionem anima suo iustitiam restitatur, imo ad illustrem sanctimoniam et perfectionem assurgat. Quocirca parentes liberorum, magistri discipulorum, Superiores auditorum, Prelati Religiosorum amantes, crebro eos monere et corrigere solent, ut ita nevos omnes deponant, ac obedientiae et humilitatis assectati, magnis continua mortificationis passibus ad perfectionem contendant. Justis ergo necdum perfectis dicitur tanquam studiosis sapientiae discipulis: « Audite, fili, disciplinam patris, et

attendite, ut sciatis prudentiam; » justis vero perfectis tanquam magistris illud etiam Salomonis injungitur: « Argue sapientem, et diliget te; da sapienti, » id est discipulo sapientiae, « occasionem, et addetur ei sapientia. Bene justum, et festinabit accipere. » Ad hos namque omnes pertinet imperfectiones arguere, occasionem proficiendi dare, et veram virtutem docere, non tam sermone quam opere, et purissimae sanctitatis actione.

9. DA SAPIENTI OCCASIONEM, ET ADDETUR EI SAPIENTIA (Hebraea, et *sapientis erit amplius*). DOCE JUSTUM, ET FESTINABIT ACCIPERE, — scilicet doctrinam quam doces. « Occasionem, » sapientie scilicet et discendi. Unde Chaldaeus, *doce sapientem, et sapientior erit adhuc; ostende justo, et addet scientiam.* Hebraea tantum est, *da sapienti, scilicet doctrinam et consilium*, inquit Cajetanus (1).

Significatur hac praemia sapientis porrigendam esse occasionem sapientiae et virtutis, eo quod sapiens illius avidus occasionem sibi datam illico arripit, ut quod optat et querit, in sapientia proficiat: nam in omnibus sui profectum vestigat. Unde haec praemia veritas aeternae et varie explicari potest.

Primo, ut per occasionem cum Cajetano accipiamus doctrinam et consilium, q. d. Da sapienti sanam doctrinam et consilium; nam ipse illico amplectetur et exsequetur, itaque fiet sapientior, et, ut ita dicam, virtuosior. Unde explicans subdit: « Doce justum, et festinabit accipere. » Posterior enim pars rhythmici explicat priorem.

Secundo, per occasionem accipias correptionem, de qua sermo praecessit; corruptio enim sapientis est occasio proficiendi, suosque defectus corrigendi. Unde S. Augustinus, epist. 48 ad Vincentium, ex hoc loco docet Donalistas aliosque hereticos, in haeresi sordescentes, non tantum verba Dei instruendos, sed et vi penitentiae cogendos esse ad Orthodoxam fidem, eo quod poena sint illis occasio sapientiae, idque probat experientia multorum, qui poenis reducti sunt ad sanam fidem. Unde concludit: « His omnibus herarum legum terror, quibus promulgandis reges servum timore in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: Jam hoc volebam, sed Deo gratias, qui nobis occasionem praebuit jam faciendi, et dilationum morulus amputavit. »

Tertio, significat sapientia duntaxat suggerendam esse occasionem proficiendi: ex illa enim ille ulterius se provohet. Unde illud: « Sapientem nota, stultus fuste monendus est. » Ita S. Antonius, epist. 2 ad Fratres Arsenoitas: « Erant, inquit, et alia multa quae velim docere; sed si dedero occasionem sapientiae, expartior erit, » q. d. Multa scripturiebam, sed ex paucis quae scripsi, caetera colligatis. Sapient enim ex dictis non dicit, ac stulto expresse dicenda, per se rimatur et colligit.

(1) Roete. Pro et festinabit accipere, hebr. est, et augetur ille doctrinam.

(1) Ita vocant Rosenmullerus et Ewaldus. Aliter Maurer: « Continet potius quae subijciuntur tria committit. Illius institutionis, ad quam invitavit sapientia veta. 1-3, monitum alterum, monitum inquam de prudentia in conversatione et consilio.

figit. Vel, si *delicta occasione*, id est spatium et tempus cogitandi descendique. Unde

Quarto, Syrus per *occasione* accipit tempus opportunum, q. d. Noli tempore importuno, sed opportuno docere, corrigere, exhortari et stimulare sapientem ad meliora. Sapientem enim si importuno tempore moneatur, v. g. cum est alius occupatus, cum molestia deprimitur, cum mente obnubilatur, ex monitione affligetur vel exacerbabitur: sin opportuno, cum v. g. serenus est, docilis, hilaris, optime accipiet monitionem. Sic ergo Syrus verit, da *tempus sapienti*, ut *iterum sapientia inveniatur*. Sensim enim discitur sapientia et virtus, atque qui hodie infirmi et invalidi sunt ad opus aliquod herotum, cras vel perinde robustiores facti ad illud fortes erunt et validi. Infirmitas ergo aequae ac pueris danda sunt temporis spatia, quibus se suamque infirmitatem superent et vincant. Sic Christus ad tempus Apostolorum vita et infirmitates toleravit, allegans inter cetera, «*utres vestras novum vinum facile ferre non posse.*» *Matth. ix, 17.*

Quinto, significat Sapientem parentes, magistros et superiores debere subinde filiis, discipulis et subditis dare occasione[m] proficiendi in sapientia et virtute, ejus exerce[n]das occasiones suggerendo et obijciendo. Sic magistri obscuras quaestiones discipulis proponunt, ut earum solutionem investigent, sicque ingenium acuant. Sic B. Aloysius Gonzaga agens cum Patribus et Doctoribus, ut sermonem de rebus spiritualibus induceret, proponebat eis quaestiones de virtute et vitiis morum acibus, de consensu certarum sententiarum S. Scripturae, de officiis Religiosi, etc., quasi cupiens ab eis edoceri. Sic senex ille in *Vitis Patrum* dicebat Superiores debere novitiss et subditis opportune suggerere occasiones exercenda[n] nunc patientia, nunc humilitatis, nunc obedientia, nunc resignationis, nunc charitatis, etc., ideoque verbis acriteribus subinde eos pungere, stimulare et mortificare; atque eum, qui id facere negligat, esse in suos crudelium, et panem filiis debitum subtrahere: sicut enim pane altius corpus, sic occasionebus et stimulis altius virtus, et acuitur spiritus. Hac de causa Deus quasi peritus magister nobis obijcit nunc tribulationes, ut discamus patientiam; nunc contemptus, ut discamus humilitatem; nunc afflictio et pauperes, ut discamus Beneficentiam, etc., juxta illud Apostoli: «*Creata in operibus bonis* (id est, ad opera bona) *que preparavit Deus ut in ipsis ambulemus.*» *1. Ephe. ii, 10.*

Denique significat sapientem occasione[m] discendi non perdere, sed ex omnibus profectum capere, ac justum, si ansam amplius se justificandi nactus sit, eam non omittit, sed instar aucupis aves hasce celestes aucupari et captare. Occasio enim instar avis pretervolat, ni statim ut se refert, prehendantur, juxta illud:

Proinde capillata est, a tergo occasio calva.

ut, cum pertansit, prehendi nequeat. E contrario, insipientes et impij infinitas bene agendi occasiones praeterire sinunt, quas serio, sed sero quaerent, ac occasiones male agendi obvisi manibus amplectantur; unde «*in eternum eos ponit*» bit, juxta illud *Sop. v, 6*: «*Erravimus a via veritatis, etc., lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus via dicitur. Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.*»

10. PRINCIPUM SAPIENTIE, TIMOR DOMINI: ET SCIENTIA SANCTORUM (Syrus, *justorum*), PRUDENTIA.—Quod Sapiens sapientia[m] statuit principium, cap. i, 7, idem statuit hic ipsa sapientia, scilicet timorem Dei: in hoc enim sapientia hinc, imo summa consistit. Pro *principium* hoc loco hebraice est *תחילת* *tehillat*, quod non nisi principium significat, cum cap. i, 7, sit *תחילת* *rescit*, quod etiam primas, primitias et principium significat, ut ibidem dixi. Probat principium sapientie esse timorem Domini, ex eo quod scientia sanctorum sit prudentia: prudentia enim idem est quod sapientia; cum ergo hec sit scientia sanctorum, id est eorum que sancta, honesta et pia sunt, queque sui studiosos faciunt sanctos, sequitur eandem esse timorem Dei, quia hic in se sanctus est, et sui studiosos facit sanctos. Significatur ergo, inquit Jansenius, de ea sapientia hic esse sermo, que incipit in nobis esse et crescere ex conceptu Dei timore: sicque parvulos et insipientes posse ad sapientiam pervenire, si Dei timorem concipiant: quem quia omnino abjecerunt impij et derisores, ob id sapientiam non posse perire. Ad indicandam expressius differentiam inter hanc sapientiam et eam, a qua juxta mundum quidam dicuntur sapientes, subditur: «*Et scientia sanctorum prudentia,*» hoc est, scientia et cognitio rerum sanctorum, quales scilicet Scriptura docet, et scientia quam habent sancti homines, illa sola est vera prudentia vel intelligentia. Potest enim *sanctorum* exponi, ut vel ad res, vel ad homines referatur; et potest in Hebraeo repeti in secundo membro *principium*, ut sic *veritatem*, et *scientia sanctorum est principium prudentia*. Unde R. Salomon, *radix prudentia est scientia sanctorum*, seu sanctorum, puta Dei et Angelorum, ait Aben-Ezra; ac ceteri et beatorum mentium, ait R. Levi. Aut vice versa cum *Vatablo* veritas, *principium scientia est sanctorum intelligentia*, que utique non est alia quam timor Domini. Omnis enim prudentia, et intelligentia, et sapientia sanctorum, id est rerum sanctorum, quamque habent homines sancti, consistit in timore, id est cultu, reverentia, obedientia et amore Dei. Unde alius verit, *summum in prudentia est, nosse dicere* (1); Septuaginta vertunt, *consilia sanctorum intelli-*

(1) Quod ad verum accedit, nam *sanctorum* hic deo sanctissimo sumendum videtur, ut sensus sit, *cognitio dei est intelligentia*, utroque hemistichio apte sibi invicem respondentia.

gentia. Adduntque explanationis gratia, *cognoscere enim legem mentis est bona*, q. d. Vera intelligentia et sapientia est consulere ea que sanata sunt, ipsosque Sanctos sancta operantes; quia hi, cum sint mentis bonae, cognoscunt non speculative tantum, sed et practice, Dei timorem et cultum sicut esse in observatione legis divinae: illam enim opere explent, ideoque habent timorem Dei, ac consequenter veram sapientiam et prudentiam, que in Dei timore et sanctitate consistit. Idem ergo in re, vel quasi idem sunt timor Dei, scientia Sanctorum, sapientia, prudentia, intelligentia, sanctitas, scientia, et cognitio practica, id est custodia legis divinae. Timor enim Dei stimulat cogitque hominem, ut custodiat Dei legem, imo plene timere Deum est custodire Dei legem, quod est esse sanctum. Hic ergo est sorites, qui in orbem circuloque vadit: ubi est sapientia, ibi est timor Dei; ubi est timor Dei, ibi est scientia Sanctorum et sanctitas; ubi est sanctitas, ibi est prudentia; ubi est prudentia, ibi est cognitio, id est observatio legis divinae. Ergo a primo ad ultimum, ubi est sapientia, ibi est observatio legis divinae, in eaque omnis sapientia consistit, juxta illud *Eccl. xii, 13*: «*Finem loquendi pariter ornemus audiamus. Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.*» Prudentia ergo est virtutum princeps, regina, oculus et lux, que, ut ait Jamblicus, *epist. ad Amphalium*, «*singulorum vitam ad exemplar divinum referens, qua potest optima similitudine depingit, ideoque sui possessores Deo similes facit.*»

Porro S. Chrysostomus in *Catena Græc.*: «*Nihil aliud fere, inquit, est sanctorum consilium quam prudens et sagax de rebus, que in praxin veniunt, judicium. Sed et nihil quoque equo student et desiderant fidem illi prudentes et sancti, atque divinam cognoscere voluntatem,*» practice scilicet, id est cognitam exsequi. «*Nam Spiritus Sanctus est vita animæ.*» Hucusque S. Chrysostomus.

Hujus gnomes appositus exstat apologus apud Cyrillum, lib. I *Apolog. moral.* cap. iii, cujus titulus est: Prudentia vera est que simplicitatis innocentia decoratur. Animalia, inquit, *in se* que quiescit quodnam ex ipsis esset prudentius, ac volatilia proponerunt corvum, terrestria vulpem; accessit simia, dixitque tam corvum, quam vulpem, esse astutos ac dolosos, at non prudentes; idque hac ratione evicit: «*A casta nocendi conjuncta est cum ignorantia viri*» esse agendi; prudentia autem vera est ars prae. *Castissima* recte vivendi cum simplicitate, nescia quemquam ledendi. Quae itaque minus provida sunt, arte quidem armata, calliditate et stimulis nocendi maligniora fore dicam, sed non prudentia. Nam est tantum prudens est, qui ratione recta in omnibus gubernatur. Veram recta ratio nature rationalis illa est, que suum finem ut optimum intendit, et omne quod impedit ad hunc finem

consequendum, effugit; et cuncta que expedit ad illum finem agit et querit; et in his omnibus quousque ad illum finem, perveniat, firma constantia permanet. Finis autem natura rationalis est, sine omni malo, gaudere omni vero bono, et cum perpetua serenitate, et securitate veritatis letari. Ad hunc capesendum cuncta impeditiva sunt vitia, et omnes virtutes opportune. Quo definito, unusquisque sociorum secessit in sua.»

11. PER NE ENIM MULTIPLICABUNTUR DIES TUI, ET ADDENTUR TIBI ANNI VITAE.—Septuaginta, *hoc enim modo multo vives tempore, et adjicientur tibi anni vitæ;* *enim* dat causam non tantum versus precedentis, sed et vers. 5 et sequentium, puta dat causam solius orationis et invitationis sapientia, q. d. Invitavi, et assidue omnes ad me, puta ad sapientiam, et ad timorem Dei, invito: nunc venientibus magna promitto premia. Ego enim sum, que mei studiosis porrigo vitam sanam et felicem per multos annos in hoc seculo, et per omnem aeternitatem in futuro. Vide dicta cap. iii, 8.

12. SI SAPIENS FUERIS, TIMIDITUS ERIS: SI AUTEM ILLUSOR (Syrus, *improbus*), SOLUS PORTABIS MALUM.—Est hic alter stimulus, quo sapientia punit omnes ad sui sequelam, q. d. Si, o fili, meis sapientibus monitis parueris et sapienter vitam institueris, timiditipsi, id est ad tunc, non ad meum vel alterius, commodum et premium id faceris; si autem ea spreveris et deriseris, in solus portaberis, q. d. Tibi, non mihi, seritur et metitur, ne putes mea me luca spectare, meque ad meum honorem discipulos aucupari: ego nec discipulis nec honore indigeo; sat mihi docta, sat honorata sum: tuum utilitatem, tuum honorem quaero; tibi consulo, et ut tute tibi ipsi consulas: si enim mihi parneris, ut sapias tibi ipsi, gloriam, vitam et felicitatem promeraberis; sin me deluseris, teipsum deludes, fibique mortem et gehennam accerses: «*Unusquisque enim omnis suum portabit.*» *Galat. vi, 5.* Septuaginta addunt, *tibi et proximis*; Syrus, *tibi et amicis tuis.* «*Si, inquit, sapiens fueris, tibi eris et proximis: si autem malus evaseris, solus utique haeris* (Græce *ἐπιθήσεις*, q. d. Exantlabis magno labore, dolore et angore) mala;» Symmachus, *si autem pestilentis fueris, portabis mala.* Septuaginta secutus S. Ambrosius, in *Psal. xxxv*, vers. 4, hoc discrimen inter justum et injustum constituit, quod hic inutilis mundo sit, ille utilis et proficuus: «*Injustus, inquit, et alius inutilis, et sibi noxius; justus autem vita fructuosa alius, sibi dulcis.* Dicit enim Salomon: Fili, si sapiens eris, tibi sapiens eris et proximis; si autem malus evaseris, solus haeris mala. Advertimus ergo quia iustitia alius potius est nata, quam sibi: commune commodum, non solum spectat, et alienum bonum pro suo dicitur enjoyment. Beata est preclara justitia, cuius bonum omnibus proficit. Ex uno plerumque proficietur, atque ad omnes provenit.»

Quocirca idem S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, *ecton. 10*, ad illa: « Qui timent te, videbunt me, et letabuntur, » docet justum solo aspectu alii prodesse, suamque afflare justitiam. « Prophetat, inquit, utinam orbe replendum esse timore divino, et ideo quasi benedixit Deum Sanctorum dicit cognoscere letari. Qui enim videt justum et gaudet, etiam ipse vult esse justus. Pulchrum est enim ut eo in aliis delectetur, quod vult ipse in se servare, si possit. Est enim insitum bonis, ut castum pudicum, prudentem sapiens affectu pio diligat, misericors liberalem, et virtutes suas in aliis amet. Plurisque enim justus aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero letitia est. Quam pulchrum ergo ut videaris et prosis! Bonum ergo vir justus. » Probat id exemplo avis, que vocatur ieterus, quod ietero, id est morbo regio, laborantes sanat; de qua Plinius, lib. XXX, cap. xi: « Avis ieterus, inquit, vocatur a colore; que si spectetur, sanari id malum tradunt. » Ad que verba alludens S. Ambrosius: « Nam si est tanta vis, inquit, in naturalibus, ut animal visum prosit ieteris, ita ut mortui quoque ejus animantis corpus prodesse dicatur, si facili demonstratum iis qui hujusmodi inciderint passionem,

dubitare possumus quod justus sanet aspectus. Nonne vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis qui fideliter eum videre desiderant? » Subdit S. Ambrosius contrarium evenire impiis: « Sed quemadmodum, inquit, justus letificat cor innocentium, cum videtur, ita et improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. Torquentur castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides. »

Post hunc versum nonnulli codices Græci subjiciunt ista: « Filius disciplinam nactus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur. » Addunt Romani et S. Cyprianus in *Concil. Carthog.* ac Syrus sequentia: « Qui fidens est in falsis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes: deseruit enim vias vineæ suæ, semidis vero agelli sui erravit; ingreditur autem per avia loca atque arida, et terram destinatam in sitim: contrahit autem manibus infructuosa; » vel, ut clarius habet Syrus, *etiam ipse nihil congregavit*. Verum hæc omnia non sunt in Hebræo, nec in Latina Vulgata, nec in Græcis Complutensium, et peraque habentur cap. seq., unde ex eo hæc translata videntur.

SECUNDA PARS CAPITIS.

PRODUCIT SCHEMA MULIERIS STULTE, QUE JUVENES SEDUCIT, SECUMQUE AD TARTARA DUCIT.

13. MULIER STULTA ET CLAMOSA (Syrus, *deceptiva blandiendo*) PLENAQUE ILLECEBRIS, ET NIHIL OMNINO SCIENS. — Sapientia, quasi reginæ invitanti omnes ad regium virtutis epulum, opponit mulierem insipientem, que ad suas delicias auctos pellicit: ut illius honestas et pulchritudo, hujus inhonestas et turpitudine ex mutua collatione clarius appareat, utque invitati hujus fraudes et illecebras exitiales agnoscant et caveant, illius vero honoratum veritatis probitatisque epulum sectentur et ambiant. Salomonem de more secutus Plato et Philosophi similia narrant de Heracle. « Is enim ut ex isdem narrat S. Basilus, homil. 24 *De t. vendis libris Gentil.*, cum quadam die an sequendi esset via voluptatis, an virtutis, ambigere; astiterant illi due femine, quarum conditionem statim ex ipso habitu agnovit. Altera, inquit, forma conspicua, molliore facie, lascivis oculis, sermone blando, omnia fausta faciliacque et ad vite solata tendentia per otium pollicendo, Herulem ad se trahere conabatur. Altera vero vultu rigido, squallenti mestoque ore, magnam fiduciam atque constantiam pre se ferens, nihil recedentem, nihil amorem ostendebat, labresque immensas terra marique subeundos (1).

(1) Hebr. est, *mulier stultitia*; stulta, est *strepere*, temetipsum, in oppositione ad sedatos compositosque Sapientia, nunquam castæ et honestæ mulieris, mores, nec vestit quilibet, omnium rerum ignara est.

Quæres, quænam est hæc mulier stulta? Respondet eandem esse, que descripta est cap. vii, 40; quam enim ibi depinxit Sapiens, eandem hic depingit ipsa sapientia, quasi sibi æmulam, corvalem et antagonistam. Grammaticæ ergo mulier hæc est meretrix: nihil enim ita contrarium sapientiæ, que pudica est, spiritualis, angelica et divina, ac meretrix et libidina, que impudica est, carnalis, diabolica et tartarea. Ita S. Ambrosius, lib. I *De Caino*, cap. iv, et S. Hieronymus, in *Osee* cap. xii, et Clemens, lib. III *Pædagog.* cap. xii, Beda, Jansenius, auctor *Catena Græcor.* et alii hic.

Parabolice vero per meretricem representatur ipsa insipientia, puta cupiditas, sive concupiscentia, ac prava doctrina, præsertim heresis. Unde S. Ambrosius censet per duas hæc mulieres describi virtutem et voluptatem sibi invicem adversantem, quarum quælibet omnes ad se invitat. S. Augustinus vero, S. Hieronymus, Polychronius, Evangelus et alii accipiunt heresim: hæc enim est falsa sapientia, qua veræ sapientiæ ex diametro opponitur. Audi Philonem (cujus verba recitat S. Ambrosius, lib. I *De Cæd.* et *Abel.* cap. iv) lib. *De Hered. meretr.* non scienda in sacrum, graphice hoc Anne et Phœnæ, vel potius Sare et Oollæ, id est virtutis et voluptatis, litigium et illicium depingentem. « Duas, inquit, nostrum quisque uxores habet in suo contubernio, eas-

que infensas sibi invicem, et animæ domum replentes contentionibus zelotypis. Harum alteram diligimus, quasi amicum blandam et familiarem, que voluptas dicitur; alteram odio prosequimur, ut imitem ac tetricam, et nobis minime benevolam: hæc virtus nominatur. » Deinde antequam earum jurgia exponat, utriusque habitum depingit: « Illa, inquit, ad nos accedit ornatu meretricio, fracto incessu præ molliæ, obtutu lascivo inescans animas juvenum, temeritatem et impudentiam præferens in oculis, elata cervicæ supra nativæ staturam assurgens, ridens cachinnabundaque, calamistrata et cincinnatula, fucata facie, pietis supercilis, recens lota, purpurissata, pretioso floridoque amicta palliolo, aureis gematicque armillis superba, et murenolis mundaque muliebri cætero, spirans unguenta fragrantissima, non tam domum suam quam fora comitate diligens, petulans, suæ formæ prodiga, ascitiæ vero avida. Et cum ea pedisseque domesticæ, varitia, injustitia, nequitia, quibus stipata more principis sic perientat animum. » Hic prolixum subnectit sermonem, quo voluptas in adversariam sibi virtutem invehitur, et suos ad se allicit amatores. Deinde ad virtutem similiter depingendam transit. « Altera, inquit, in abdito stans, verita non forte illa mariti communis animam ad se solam pertraheret, corruptum domis, vel oblati, vel ostentati; neve pretioso aspectu emollitum deiperet: quando ascitiæ cultu et magicis eum allectari demulcerique animadvertet præstigiis, repente supervenit, ingenio, matronalique incessu gravis, vultu serena, genuino quodam pudoris colore suffusa, simplex moribus, vite integra, mente semper sui similis, verbis haud blanda, sanam mentem veraciter experimentibus, decora nativo habitu, moderata gestu, vestitu modica, ornata non auro, sed longe pretiosioribus ornamentis. Comiles eam sequebantur, pietas, sanctitas, veritas. » Hic deinde insignem subtextit orationem, qua virtus cum æmula sibi voluptate expostulat, et qua miseros homines voluptatis nexibus implicatos, ad beatam ipsius virtutis evocat libertatem.

Igitur tam meretrix, quam concupiscentia et heresis, primo, est « stulta, » Hebr. *שׂוּתָהּ מְרֵצָה* esset *hesluth*, id est, *mulier stultitia*, q. d. Est ipsa stultitia personata et habitu muliebri vestita: tum quia meretrix libidine et avaritia ebria mentem et rationem perdidit, ac quasi dementata et vesana non nisi sordēs et luxurias cogitat; tum quia meretrix symbolum est stultitiæ, puta cupiditatis et heresis, que ipsissima est stultitia. Quocirca S. Isidorus, lib. VIII *Origin.* cap. xi: « Venus, inquit, vocatur Cupido propter amorem; est enim demon fornicationis. Qui ideo alatus pingitur, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur. Puer pingitur, quia stultus et irrationabilis amor. Sagittam et facem tenere fingitur: sagittam, quia amorem cor vulnerat; facem,

quia inflammat. » Hinc Poetæ Venerem Vulcanæ nupsisse ferunt, ut significant amorem ardore incendi. Rursus eam strabam pingunt, quia pravus est amor.

Secunda, meretricis, et concupiscentiæ, ac hæresis conditio est, quod sit « clamosa, » Hebræo *מְרֵצָה הוֹמִיָה*, id est *tumultuosa, vel tumultuans*, ut vertit Origenes, Vatablus et Pagninus: *Mulier stulta*, inquit, *tumultuatur*; Septuaginta, *avidæ*. Quam sint clamose et tumultuose meretrices, liquet experientia, que coet plerasque lites, rixas et cædes excitari per vel propter meretrices. Idem ex eadem liquet de cupiditate et hæresi, que tot tumultus, bella et incendia nostro hoc sæculo excitavit in Gallia, Anglia, Scotia, Belgio totaque Europa: ut per eam passim templa et monasteria concremata, urbes eversas, provincias vastatas, innumera hominum millia trucidata cernamus. Addit S. Ambrosius, lib. I *De Caino*, cap. iv: « Illic comessantium tumultus, concertantium clamor, ligantium cædes, contentus canentium, saltantium strepitus, ridendum cachinnus, lascivientium plausus, confusa omnia. » Et cap. v: « Illa vini ebrietas, fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit, anima exurit. Sævus criminum stimulus libido est, que nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiat, potendo inflammat, usque accenditur. Nullus peccandi modus, et inexplabilis scelerum situs, nisi morte amanti extinguiri non potest. Similes tumultus ostendit in cupiditate avaritiæ, sive æris libidine, « Omnibus, inquit, invidia, sibi vilis, in summis divitiis inops, affluens extenuat, quod censu abundat. Nullus rapiendi modus ubi nulla mensura cupiendi. Sic inflammat, sic igne suo pascit animum, ut hoc solo distet, quod illa formarum adultera sit, ista terrarum. Elementa concuili, mare sulcat, terram effodit, nec sereno grata nec nubilo, condemnat proventus annuos, fetusque terrarum arguit. »

Tertia, quod sit « plena illecebris, » Hebræo *מְרֵצָה מְלֵצָה* quod primo, Cajotanus et Pagninus vertunt, *simplicitatis*; Marius, *soliditatis*, q. d. Mulier simplex; Vatablus, *imperita*; Marius, *stolidi*; פְּתִי *peti* enim est parvulus, simplex, rudis, imperius. Secundo, Septuaginta vertunt, *indiga panis*; unde auctor *Catena Græcorum* legit, et ad *frustali panis inopiam redigitur*, ut *potaiuth* derivetur a פֶּתַח *path*, id est *frustum, buccella panis*, q. d. *buccellaria*; quales sæpe sunt meretrices, quia omnia dilapidant, ideoque, ut ait S. Chrysostomus, homil. 63 ad *Populum*, similes sunt dolo perforato. Tercio, optime Noster vertit, *plena illecebris*. Radix enim מְרֵצָה *patha* significat suadere, illicere, decipere, seducere. Unde Tigurina vertit, *persuasiones habet*, q. d. Pitho est, sive Suada, vel Suadela. Pitho enim Gentilibus fuit dea

suasionis, persuadens quidquid volebat, de qua Horatius, lib. I, *epist.* 6:

Ac bene numquam decorat ananeta venusque.

Et Cicero, *De Claris Orator*: « *πρωτος*, inquit, quam Graeci vocant, cuius effector est orator, hanc *Sua-*dam appellat. Euius: ejus autem Cethegum medullam fuisse vult, ut quam deam in Periclis labiis scripsit Eupolis sessitavisse, hujus hie medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. » Talis suada est meretrix, aequae ac voluptas, de qua S. Ambrosius, lib. I *De Caino*, cap. IV: « Illa, inquit, meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, et ludentibus jaculans palpebris refia, quibus prefirosas juvenum animas capit (oculus enim meretricis laqueus est peccatoris); quemouique viderit sensu indignum praeterentem in angulo, in transitu domus suae, sermonibus adortur gratiosis, faciens juvenum volare corda: domi inquieta, in plateis vaga, oculis prodiga, pudore *πλιν*, amictu dives, genas pectus. Etenim, quia verum decorem naturae habere non potest, adulterinis facis affectatae pulchritudinis lenocinatur speciem, non veritatem. Vitiorem succinela comitatu, et quodam nequitarum choro circumfusa, dux criminum, lalibus verborum machinis murum mentis aggreditur humana. » Et inferius: « Thesaurus demonstrat, regna promittit, amores spondet continous, inexploratos concubitus pollicetur, sine pedagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplabilem cupiditatem. »

Has illicendi artes egregie callebat Anna Bolana, quae cum esset meretrix, et a Gallis vocaretur Equa Anglicana, Henrico VIII Angliae regi ejus congressum expetent, asseruit se esse virginem, nemineque se virginitalis florem, nisi viro suo dedicaturam. Colloqui, colludere, simul etiam cum rege saltare, nunquam a sua modestia alienum judicavit, tantum a concubitu abhorreere se finxit. Quibus artibus ita regem inescavit, ut iam ei fixum esset, repudiata Catharina, tam sanctam virginem in uxorem ducere. Duxit, perit, Angliamque perdidit usque in praesentem diem. Ita Sanderus, lib. I *De Schism. Anglie*.

Quarta est, « nihil omnino sciens » praeter suos amores et libidines, ac illicendi nummosque emungendi artes: hisce enim totam mentem intendit et expendit, ut nihil aliud scire vel cogitare posse videatur. Unde Septuaginta sensum reddentes vertunt, *quae non novit pudorem*, quia tota impudens est, ut ad impudicitiam suam juvenes pelliciat. Sic it enim virginitalis et castitatis paranympbus est pudor, sic impudicitiae pronuba est impudentia. Vide S. Ambrosium, lib. I *De Virgin.* Chaldaeus vertit, *nescit bonum; Syrus, nescit utilita*.

14. SEDET IN FORIBUS DOMUS SUE, SUPER SELLAM IN EXCELISO URBIS LOCO. — Syrus, *sedet super thronum excelsum*: tum quia superba est, ait Aben-Ezra,

tum ut suam pulchritudinem ostentet, omnesque ad suos artores invitet. Hic enim est mos meretricium: imo nonnullae curant se gestari per urbem sellis undique patulis, quasi veneres quasdam, ut suam formam vendiderunt nundinantur, ideoque post se trahunt greges juvenum, uti faciebat S. Pelagia primo peccatrix, deinde conversa a B. Nonno, poenitens et sancta, cujus Vita exstat apud Surium, die 8 octobr. Hinc illud *Jerem.* III, 3: « Frons meretricis facta est tibi, noluitis erubescere. » Magnum sane illicium est in oculis feminarum. Quocirca S. Lucia (non celebris illa heroina Syracusana, sed alia, quae proinde quasi patrona invocatur ab illis qui oculis laborant, et a nonnullis vocatur Lucilla) sentiens ob oculos pulchritudinem se ex *πλιν* a tyranno, oculos sibi eruit, eosque ad tyrannum misit, hoc dicto: « Seito nihil amplius in me superesse, quo a te mihi timeam injuriam; » vere implens illud Evangelii: « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. » Ita Sabelius, lib. IV *Exempl.* cap. VII. Simile exemplum recenset Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 53; vide eum. Simile habet Joannes Moschus in *Prato spirit.* cap. IX.

15. UT VOCARET TRANSEUNTES PER VIAM, ET PERGEN-
TES ITINERE SVO. — Hebraice, *qui dirigunt semitas suas*; Septuaginta, *qui recta pergunt in viis suis*; Syrus et Chaldaeus, *quorum via recta sunt*.

16. QUI EST PARVULUS, DECLINAT AD ME. ET RECOR-
NI (Hebraice, *carenti corde*) LOCUTA EST. — Eadem in Hebraeo sunt verba quae vers. 4 sapientiae attribuit. Unde Septuaginta vertunt, *qui est vestrum insipientissimus, divertat ad me, et indigentibus sapientia praecipio, dicens*. Clemens Alexandrinus, lib. III *Pedagogi*, cap. XII, *quisquis est vestrum stultissimus, ad me declinet; et autem qui eget prudentia, praecipit, dicens*. Solent enim meretrices insidiari viatoribus, eosque incautos aggredi, et ad se pellicere. Unde in semitis desident, qua eis transcendendum est, indeque *semitaria* sunt appellatae. Porro Septuaginta vertunt, *insipientissimus*; Chaldaeus, *mente captus*, quissumma insipientia est sequi stultam et clamosam meretricem. Unde anonymus Rabbinius in Glossa magna Hebraica sic paraphrasticae vertit, *et columbae seducta non habenti cor verba haec fecit*. Columbae enim amanti aquas, cumque ex eis bibunt, colla non respiciant, teste Plinio, lib. X, cap. xxx, ut respiciant alia aves, eo quod fauces habeant arciores, et quia timent insidias et laqueos, quos eis juxta aquas tendere solent aucupes: columbae vero stolidae prone bibunt, et pleno se prolant ore, ideoque insidias aucupum non circumspicientes iis facile capiuntur. Tales aut adolescentibus stolidi, qui blanditiis meretricum seduci se sinunt, et aquis earum furtivis, id est meretricis voluptatibus, totos se immergunt et submergunt. S. Ambrosius, lib. I *De Caino*, cap. IV, haec ita paraphrasticae exponit: « Ipsa in medio stans:

Bibite, inquit, et inebriamini, ut cadat unusquisque, et non resurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditissimus. Ille meus est, qui suus non est: ille *πλιν* gratior, qui sibi nequior. Calix aureus Babylonicus in manu mea inebrians omnem terram, a viro meo biberunt omnes gentes. Qui est a quo insipientior, divertat ad me, et indigentibus sapientia praecipio, dicens: Panibus absconditis suaviter utimini, et aquam furti dulciorum bibite. Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. »

17. AQVÆ FURTIVÆ DULCIORES SUNT, ET PANIS ABS-
CONDITUS (Hebraice, *panis absconditorum* vel *absconsonum*) SUAVIOR. — Septuaginta, *panes occultos libenter attingite, et aquam furti dulcem*; S. Ambrosius, lib. I *De Caino*, cap. IV: « Panibus absconditis suaviter utimini, et aquam furti dulciorum bibite; » S. Hieronymus, in *Osee*, XII: « Et aquae furtivae dulcedinem; » Pagninus, *aquae furtivae dulciores sunt, et panis in abscondito comestus magis sapit*. Pro *furtiva* hebraice est *גנבתי* *genbati*, id est furto subducte (unde *גנב* *ganab* est fur, et *גנבה* *genbe* furtum), ideoque clandestinae, secretae et absconditae, ac proinde quae secretam, nec passim notam, continent, aut continere putantur, suavitate. Idem enim sunt aquae furtivae, quod panis absconditus: fures enim clandestini furantur, furtumque abscondunt.

Nota: Meretrix haec stulta imitatur sapientiam invitando omnes, aequae ac ipsa fecit, ad suum convivium, sed longe impar et dispar. Sapientia enim ad vinum vocat, inquit Jansenius, meretrix ad aquas: quia aequum, id est insipidum, exsiccum et frigidum est, quidquid mundus aut caro ostentat. Illa mensam suam bene instructam palam proponit, haec suam mensam occultam esse insinuat. Illa ad suum panem vocat, dicens: « Venite, comedite panem meum; » haec ad aquas furtivas, dicens: « Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus, » hoc est, qui in abscondito editur, quia scilicet furtivus, « suavior » est. Videtur autem ab hac muliere desumpta haec sententia ex vulgatis proverbii, ut vulgatum proverbium suo accommodari proposito. Et sic esse, ut proverbium significat, res ipsa docet.

Igitur « aquae furtivae » et « panis absconditus » sunt clandestinae et furtivae scortationis et adulterii voluptas, quam velut cibum et mensam suam meretrix haec proponit et opponit convivio sapientiae, vers. 5. Sicut enim famuli ex dolio aquae aut vini, quod herus recondit, sibi soli servat, ardent furtim aliquid haurire, et, si epistomium desit, terebrato dolio per fistulam vinum sorbendo exsurgunt, quia in se miram sentiunt delectationem, esto vinum in se vulgare sit, minusque sapidum. Sic pariter moechi et scortatores ardent furtiva libidine alienae uxoris vel meretricis, esto illa minus pulchra et compta sit. Unde noster Salazar per *panem absconditum*, sive furtivum, acci-

pit furtivum, qui fit ex furtivibus, qui datur porcis et canibus, item hominibus vilibus, quales sunt mancipia et scorta. Nos enim qui porcos et canes fidelitate et impudenti libidine imitantur, porcinis et caninis siliquis cum filio prodigo, *Luce* XV, 16, ali par est. Nao refures a furando dieti videntur, quod eos cribrum, vel exercitium, transmissa furata subtiliori in se retinet atque efforetur, uti et pauperes qui divitum panes pinsunt, eosdem sibi non raro servant et furantur. Unde Terentius in *Eunucho* asserit meretrices « panem atrum (qualis est furtivus) vorare jure hesterno madefactum. »

Porro in omnibus quidem rebus furtivae delectationes sunt majores, sed maxime in venere. Unde passim poetae, qui tractant de amoribus, celebrant amorem furtivum, id est clandestine et quasi furto acceptum; et scortatores et lenones maxime querunt puellas furtivas, id est aliunde abductas, vel raptas, juxta illud Plauti in *Cureli*: « Qui suas mercari furtivas, atque ingenuas virgines. » Et in *Persa*:

Addit simul
Forma expendantur mulierem
Furtivam, abductam ex Arabia pentiissimam.

Imo ipsum adulterium vocatur *furtum*, quia est furtum uxoris alienae, quod utique majus est, quam furtum bovis vel equi. Unde Tibullus:

Celari vult sua farta Venus,

id est adulteria. Et Ovidius, *Metamorph.*:

Hoc certe furtum conjux mea nesciet, inquit.

Et puer conceptus furto vocatur conceptus ex adulterio. Ita Clemens Alexandrinus, lib. III *Pedagogi*, cap. XII: « Dulcem furti aquam, inquit, furtivam dilecti venerem. Hinc adjutus Beotius Pindarus: Dulce quid, inquit, furtiva cura veniens. »

Porro cur furtiva sint suaviora patentibus, causa est, quod furtivorum majus sit desiderium et concupiscentia, idque ob multas rationes. Prima est, quod dicit S. Hieronymus in cap. XIII *Osee*: « Quamquam enim non licet, magis desideratur. Nam nihilur in veditum semper, cupimusque negata. » Velatio ergo acuit rei velite concupiscentiam, sicut frigus circumstantis calorem exacuit per antiperistasin.

Secundam addit idem, quia « quod raritate dulce est, assiduitate in amaritudinem vertitur. » Obvia enim, velut quae habemus in manibus, parvi facimus: at secreta, reclusa et abscondita, velut nova, rara et curiosa, ambimus. Ita S. Augustinus, cujus verba mox recitabo. Curiosa enim pro ceteris est venus et libido: unde novus semper querit pellices, novos amores, novos libidinis modos et artes. Quocirca Plutarchus, lib. *De Curiositate*, adulterium ait non esse aliud quam curiositatem alienae voluptatis. Libido enim,

Cur furtiva suavior?

Causa Prima.

quia insatiabilis, una satiari nequit; unde alias et alias assidue quarit, ut se exsatiat, nec satem invenit, quia, ut dixi, insatiabilis est, perinde ut hydropicus aliam et aliam appetit aquam, quia ejus siliis insatiabilis est.

Tertia, quia puella furtiva, v. g. bello capta, aut vi raptā, aut fraude abducta, vel seducta, sepe sunt pudice et virgines, quae magis a scortatoribus expetuntur. Hi enim meretrices velut viles et sordidas fastidiunt, atque virgines velut honestas et nobiles ambiunt. Vicissim virgines, quia inexpertae, putant in libidine arcanam et miram latere voluptatem, hinc acris ea tentantur. Ita S. Hieronymus, epist. De Vitando suspecto contubernio: « Inter illecebras voluptatum, inquit, etiam terreas mentes domat libido, quae majorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne quod nescit. Libidinosā manus, quod non licet, dulcius suspicatur. »

Quarta, quia furtiva adipisci difficilior est: difficultas autem rei cupitae desiderium adauget. Ita Quintilianus, Declam. 14: « Ut in furorem, inquit, charitas aliqua convalescat, opus est difficultatibus: brevis de concessis, et statim satiati vicinus affectus est. »

Quinta, quia in furtivis delectat ipsa ars fallendi et furandi, quae saepe valde ingeniosa est, magnamque continet solertiam: ideoque valde delectat tum illa, tum quod per illam quis adipiscitur. Unde Poeta Mercurium facientem deum, quod ipse artis et fallaciarum, ac doli fraudisque inventor et concinnator sit, ideoque illi dant cognomentum κλέπτρις, id est fur: quo alludens Horatius, lib. I, ode 10:

Candidam, inquit, quidquid placuit jocoso
Condere furto.

Ita S. Augustinus, lib. III Confess. iv et seq., narrat se cum sociis furatum pira, non ob pira, sed ob artem et fallaciam, quae est in furto: « Et ego, inquit, furtum facere volui, et feci nulla compulsus egestate, nec penuria, sed fastidio justitiae et sagina iniquitatis, etc.; non ad nostras epulas, sed ut fieret a nobis, quod eo libere quo non liceret. » Et in fine cap. vi: « An libuit facere contra legem saltem fallacia, quia potentatu non poteram, ut mancam libertatem captivus imitaretur faciendo impune quod non liceret, tenerosa omnipotentis similitudine? » Et cap. ix: « Ritus erat, quasi stillato corde quod fallabamus eos, qui haec a nobis fieri non putabant, et vehementer nolebant, etc., cum dicitur: Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem. » Simile exemplum monest. Erant panem, quo non indigebat, recenset Cassianus, Collat. II, cap. xi. Similia plura audiunt Confessarii, qui excipiunt confessiones furunciorum.

Denique demon, ut homines ad furta et furtivas libidines pertrahat, eis persuadet illes voluptatibus conjugii, aliisque licitis esse suaviores.

Quare in eorum imaginatione pingit et fingit chimeram voluptatis illicite tanquam suavissimam, ut imaginentur, sibi que persuadent nihil esse suavius meretrice, cum a parte rei saepe nihil ea sit deformius, sordidius, putius. Unde pro suavior hebraice est *יָמִין* *imam*: id est pulchrescit, id est pulcher videtur, suavis apparet.

Mystice, quae aquae furtivae sunt pravae artes et scientiae, quae clanculum docentur, ut est ars magica, sortilega, divinatoria, astrologia iudicialia, ac praesertim haeresis. Ita S. Augustinus, tract. 97 in Joannem: « Cavete, inquit, timendo et orando, ne irruatis in illud enigma Salomonis, ubi mulier insipiens et audax, inops panis effecta, convocat praetereuntes, dicens: Panes occullos libenter attingite, et aquae furtivae dulcedinem. Haec enim mulier vanitas est impiorum, cum sit insipientissimā aliquid se scire opinantur, sicut de ista muliere dictum est: Inops panis effellur. Quae cum sit inops panis, promittit panes, id est, cum sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis; occultos tamen panes promittit, quos tamen dicit libenter attingi, et aquae furtivae dulcedinem: ut ea scilicet libentius et dulcius audiantur et agantur, quae palam in Ecclesia dici credique prohibentur. » Causam subdit, quam paulo ante secundo loco assignavi: « Ipsa quippe occultatione condunt quodam modo nefarii doctores sua venena curiosi, ut ideo se existant aliquid discere magnam, quia merentur habere secretam; et suavis hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cujus prohibita quodam modo furantur audaciam. Hinc et nefarios ritus suis hominibus sacrilega curiositate decipit, vel decipiendis, magicarum artium doctrina commendat. Hinc illae illicite divinationes inspectis peentium visceribus occisurarum, aut vocibus et volatibus avium, aut signis multiformibus demoniorum insurrant auribus hominum peritorum (alias imperitorum), per colloquia peritorum. Propter haec illicite atque puniendae secreta mulier illa non solum insipiens, verum audax etiam nuncupatur. Sed haec non solum re ipsa, verum et a nomine nostrae religionis aliena sunt. Quid? quod mulier haec insipiens et audax, sub Christiano vocabulo tot sceleratas haereses condidit, tot nefandas fabulas finxit. »

Audi S. Gregorium, lib. XIII Moral. cap. xxvi: « Sunt, inquit, nonnullae haereses, quae aperte metuunt praedicare quod sentiunt, et apud infirmorum mentes verba sua tanto magis condunt, quanto quasi amplius reverenter abscondunt: miseris enim cordibus occulta haereticorum verba eo magis sapiunt, quo cum religiosis communiter non habentur. » Idem, cap. sequent. xxvii, istam aquam furtivam et panem absconditum praesentis vitae delectationem vocat. Tantum vero solet esse irritamentum in voluptate, bonoque alio hujusmodi terreno, ubi primum non conceditur, sed negatur, aut saltem difficulter habetur, ut eo ar-

tificio saepius utatur diabolus: quod in Pharaone paleas negante, et nihilominus Hebraeos ad opera luti cogente mirabiliter expressum est. Exodi v dicitur: « Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres. » Ubi egregie Procopius ita edisserit: « In hunc modum sollicitat diabolus eos qui Deo operam dare student, difficilem praebet malitiam, ne ejus satiatis fastidium pariat suo cultori; nitimur enim in vetitum semper, cupimusque negata; et quo magis inhihemur, eo magis cupidine ardemus. » Haec Procopius.

Sic viris Religiosis demon saepe immittit tedium continua obedientiae, ac immittit desiderium vitae separatae, quae quis sibi et Deo quasi beatus vivat. Quod Abbatī Carnotensi contigit, qui Praelati vitam onusque fastidens cogitabat Hierosolymam, ut ibi privatam et beatam ageret vitam. Ad quem S. Bernardus, epist. 82: « Sed diceo, ait, Unde ergo mihi tantum desiderium, si ex Deo non est? pace tua dixerim, quod sentio. Aquae furtivae dulciores sunt, et hujusmodi (ut ita loquar) absinthio amariorum dulcedinem ab angelo Satanae, sub praetextu angeli lucis, sitienti cordi tuo infandi non dubitat, quisquis ejus astutias non ignorat. Siquidem is cuius invidia mors intravit in orbem terrarum, etiam nunc bonis, quae se facere videt, invidet; et, cum sit mendax ab initio, mentitur et nunc meliora pollicens, quae non videt; falsum mel cum vero felle permiscens, dum promittit dubia pro certis, immittit etiam vera pro falsis, non ut conferat, quod frustra speras, sed ut auferat quod fructuose tenes. Sed confido quod nulli maligni versutis abduci vel seduci poteris, spe incerti boni certum inire malum, et aequae certum deserere bonum. » Haec Bernardus sparsim illa epistola.

Denique aquae furtivae sunt cupiditates quae, quia faedae et turpes, latibula quaerunt, et furtim expleuntur; cum virtus, utpote honesta, lucem ambiat, nullisque oculis vereatur. Huic praestet Deus, qui fons est omnis boni; illi diabolus, qui umbras duntaxat boni promittit et praestat. Unde viri querunt Deum Jerem. II, 13, dicens: « Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. »

18. ET IGNORAVIT QUOD IBI SINT GIGANTES, ET IN PROFUNDIS INFERNI CONVIVE EJUS. — Ignoravit, non meretrix, sed juvenis ab ea illicetus. Nam hebraice est verbum masculinum *יָדַע* *lo iada*, id est non scivit, scilicet parvulus, et vecors juvenis invitatus et seductus a meretrice, q. d. Rudis et vecors adolescens nescit in domo meretricis dominari gigantes, ejusque convivas cum ipsa ad infernum descendere. Unde improvidus et sine metu gigantum ac inferni, quasi hos ductus ad victimas sequitur meretricem, ibique incidit in manus gigantum, a quibus ducitur ad tartara: haec enim supplenda esse patet ex cap. VII, vers. 22. Pro-

gigantes hebraice est *גִּבּוֹרִים* *gibborim*; Septuaginta *γίγαντες*, id est terrigenae, sive geniti a terra ac terra filii. Sic enim vocati gigantes, utpote terrenorum avidi, caelestium inaces. Scholiastes veritē *גִּבּוֹרִים*, id est pugnantem cum Deo; Tigrina et R. Levi, mortui; alii vertunt, manus inferi (1). Per gigantes significantur demones et damnati: hi enim gigantes sicuti scelerē, ita et damnationem sunt similes, ac cum Deo bella et odia aeterna gerunt. Alludit ad gigantes, qui ex luxuria nati sunt, Gen. vi, 2; Job xxvi, 5: « Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis. » Sicut enim gigantes mersi sunt diluvio tempore Noe, et inde in tartara deturbati: sic et demones ac damnati. Abyssus enim inferni subjacet abyso aquae. Unde S. Scriptura gigantes passim quasi damnatos ob insignem superbiam et impietatem collocat in inferno, atque infernum vocat domum gigantum, Proverb. II, 18, et cap. XXI, 16; Sapient. XIV, 6; Isaia xxvi, 14. Hinc Gentiles, teste Macrobio, lib. I Saturn. cap. xx, gigantes Poetarum aiebant significare impiam gentem deos contemnente et negantem; ideoque draconum pedes eis affixerunt, ut representarent nihil eos rectum cogitare, totius vitae eorum signis atque processu in inferna tendente. Igitur significat gigantes, id est demones, dominari in domo meretricis, ut tam ipsam quam amasios ejus ad libidinem omnique nefas incitent. Unde S. Chrysostomus, homil. 2 in Matth., cubiculum meretricis vocat officinam diaboli. Idem in Psal. xli: « Sicut, inquit, ubi est oecum, eo porci concurrunt: ita ubi sunt meretrices, et meretrix cantica, illic congregantur demones. » Et S. Ephrem in tract. Contra improbas mulieres: « Quid, ait, est meretrix? Causa diaboli, diaboli consolatio, arma diaboli, triumphi tenebrarum, dux delictorum. » Aliter vertunt Septuaginta, ipse, inquit, nescit quod gigantes apud eam pereunt; Chaldaeus, et non novit quod ibi delectantur gigantes; Tigrina, et non novit quod mortui illic sunt; Syrus, nescit fortes apud eam perire, q. d. Juvenis audax, praefusus suis viribus animi et corporis, nihil sibi mali a quoquam timet in domo meretricis, sed nescit in eadem dejectos perire gigantes, id est homines viribus, sapientia, imo et sanctitate potentes et praesentes, uti fuerat Samsones, Davides, Salomones; quare multo magis ipse in eadem delectetur et peribit, tum corpore per luxum et libidinem mortem sibi accelerando; tum anima, obligando eam demoni et gehenna.

« Fortissimos viros libido domuit, et violentos unius feminae congressus impulit in ruinam, ait S. Basilius, lib. De S. Virgin. Etenim via, inquit, quae ad domum ejus ducit, recta ad infernum, mortisque barathrum tendit: ad ille interim luxu obcaecatus, carnisque et gulae delitibus, haud considerat non modo pygmaeos, sed gigantes quoque

(1) Recte: quibus mortuis ipse, et eam domum ingreditur, adiungendus sit

apud illam perire. Siquidem qui illius moribus atque consiliis obsequitur, prorsus terreni atque carnalis efficiuntur, totique in carnem versi ad sempiternam tandem mercedem abducuntur.» Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.* cap. XII, pro *gigantes, verti serpentes*: « Miser autem nescit, inquit, quod serpentes apud ipsam habitant; » sed per serpentes accipit gigantes: quia, teste Macrobio, I *Saturn.* xx, et S. Gregorio Nazianzeno, orat. 2 *Contra Iulianum*, veteres pingebant gigantes superne homines, inferne serpentes, sive cum spiris serpentum, ut significarent eos potentiam miscuisse calliditati et fallaciæ, ut quod viribus non poterant, id fraudibus perficerent. Tam ergo serpentes quam gigantes representant demones: sed serpentes notant eorum vafritatem et dolos, gigantes robur et ferociam. Alludit ad diabolum, qui specie serpentis decepti Evam, et per Evam Adamum, Gen. III. Simili enim modo in dies per mulieres et meretrices seducit et perdit majorem hominum numerum. Hinc consequenter per serpentes accipi potest ipsa meretrix, ejusque sociæ et lenæ. Ha enim serpentis habitu quasi afflata serpentinos hausere mores, dolos et fraudes quibus mille lenociniis et artibus, quasi spiris, ita amasios involvunt et implicant, ut sese expedire nequeant, juxta illud *Ecclesi.* cap. xxv, 22: « Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris, » etc. Vide ibi dicta.

Exstat inter apologos Gabrie ultimis de serpente et agricola: « Agricola, inquit, serpentem frigore pene congelatum simu suo condidit; at serpens calore sinu incalescens agricolam tremordit et occidit. » Sic mali tractant benefactores; sic scilicet meretrices tractant suos amasios; nonne ergo serpentes sunt? Quid igitur est meretrix? Respondet S. Ephrem, tract. *Contra improbas mulieres*: « Est expetita rabies, vipera vestita; » et Anastasius Nicænus, *Quæst.* LXIII *in Script.*: « Est quies serpentis, diaboli solatium, officina demonum. » Idem dicit de cupiditate quavis; hæc enim mystica est meretrix. Porro gigantes hi, puta demones, a Scholiaste vocantur *βασίλειαι*, id est pugnantes contra Deum, quia demones, cum in Deum, utpote gehennæ ignibus se cruciantem, ardeant ira et vindicta, nec ipsimet Deo nocere possint, sæviunt in homines, tanquam in vivas Dei imagines, in eosque iras suas effundunt; quare sollicitant eos ad libidines et scortationes, ut iis in se imaginem Dei deturpent, profanent et perdant. Nam, ut ait S. Ambrosius, *epist.* 82: « Virginitas fons est, in quo maxime imago Dei fucet ac splendet. » Adde demonem ex libidino ad alia scelera gradum facere, imo per illam ad hæc viam sternere; cum enim castitatem hominis expugnavit, facile eum ad quælibet crimina, ipsaque hæresim pertrahit. Unde Balaam hoc consilium impium dedit Balac regi Moab ad perdendum Mosen et Hebræos: Submitle, inquit, in castra Hebræorum speciosas puellas Moabitides, quæ

illos ad sui amorem illicitant, nec tamen sui copiam faciunt prius quam Hebræi adorant suum idolum Beelphegor. Et consilio respondit eventus. Vide historiam, *Nam.* xxv, ubi cum pertrastavi. Sic hodie Lutherus, Calvinus ceterisque apostatis libido fuit et est ergo causaque apostasie et hæresis.

ET IN PROFUNDIS INFERNI CONVIVIT EJUS. — Hebraea, Aquila, Symmachus et Theodotion, *imitati ejus, q. d. Meretrix hæc suos convivas et amasios interfecit, mittitque ad oreum et tartara, ut sicut hic conviva ejus fuerunt in scelere et ardore libidinis, ita ibidem ejus conviva sint in ardore gehennæ.* Dicit ergo ipsa suis amasios illud Leonide: « Prædante hic mecum, commilitones, apud inferos cenaturi. » Unde Septuaginta vertunt, et *in profunditatem inferni occurrunt*; S. Hieronymus, in cap. XIII *Osee*: « Terrigenæ apud eam pereant, et in profundum inferni occurrunt; » auctor *Catena Græc.*, *νεκρωσις*, id est *profundum*; vertit quoque *rete, vel laqueum*: meretrix enim est rete diaboli et laqueus inferni; qui ergo illum effugere cupit, fugiat a meretrice, sicut aves avolant a rete.

Quare Salomonus hic: « Qui verba meretricis libenter audit, inquit, et oscula ejus delectabiliter suscepit, quasi januam pulsat inferni. » Nam, ut ait S. Gregorius: « Ex quo luxuria mentem alicujus occupavit, vix cum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa; ac consensu oritur operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio. » Vide dicta cap. II, vers. 18, et cap. V, vers. 5. Fornicatoribus ergo inolectur illud *Isaia* xxxiii, 14: « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » Vide ibi dicta. Porro S. Ephrem, tract. *De Variis tormentis inferni*: « Illud, inquit, in profundo inferni, declarat quosdam quidem esse apud inferos, sed non in profundo, seu ima parte inferni, qui longe mitius puniuntur. » Luxuriosi ergo, qui in profundo inferni sunt, cæteris damnatis gravius puniuntur.

Audi S. Cyrillum Alexandrinum, orat. *De exitu animæ et de secundo adventu*, tom. IV, penas inferni recensentem et graphice oculis subjulcentem: « Vas sonitibus, inquit, cum ex aula nuptiarum exigitur! heu quæ tum penitentia, quæ afflictatio, quæ angor, quæ jactatio futura est? Grave est a Sanctis separari, durius a Deo separari, ignominiosum est pedibus manibusque colligari, et in ignem conjici; molestum est in imas detrueri tenebras, tetrum dentibus stridere et nec tabescere, odiosum nullo fine cruciari; malum linguam inflammari funestam, aquæ guttate perire, neque obtinere; acerbum in igne esse, et clamare, neque subveniri; insuperabile. » Tuces, immensus gurges, ubi inclusus quis et detentus evadere aut aufugere nequeat; insuperabilis custodia murus, immiles custodes, tenebriosis carcer, infracta vincula, inconvulse catene, diri ferique flamma

flamma ministri, graves illæ quæ ad supplicium adhibentur scuticæ, firmi ungues et infracti, duri nervi, turbida pix atque torrens, fetens sulphur, ignea illa cubicula, extincta pyra, putidus virosusque vermis, inexorabile concilium, invictus gratia judex, inexcusabilis defensio; notis compuncti magnatum vultus, exoleti optimales, mendicæ reges, imperiti sapientes, fatui et rejectitii oratores, dementes divites, non audite falsa scribentium assentationes, manifeste malitiosorum versutia, perspicuæ fraudatorum calliditates, virosus avarorum odor, aperta personarum simulatio, verberones, impostores, omnia apud illos munda atque pæfacta. Væ improbis! profani, scelerati et impuri sunt in Dei conspectu. »

Adjiciunt Septuaginta Romani hæc noemen: « Sed resili, ne moreris in loco, neque inflicias oculum tuum ad eam, ita enim transibis aquam alienam. » Quod ita explicat Clemens Alexandrinus, III *Pædag.* cap. II: « Ne ad alienum fluvium accedamus, nobis suadet pædagogus, per alienum fluvium alienam uxorem libidini deditam (et instar fluvii secum rapientem et absorbentem amasios) allegorice significans, ut quæ ad omnes idonet, et per meretriciam intemperantiam omnium voluptati effundatur. » Sicut ergo ne a torrente rapido abripiaris, procul ab eo fugis: sic

ne torrente libidinis abripiaris, procul fuge a meretrice. Mystice, idem Clemens, lib. I *Strom.*, hisca verbis significat, ait, cavendum esse ab hereticorum baptisimo.

Insuper addunt Septuaginta Romani: « Ab aqua autem aliena abstinere, et de fonte alieno ne biberis, ut longum vias tempus, adjiciantur etiam tibi anni vite. » Hæc etiam legit Syrus, et Concilium Carthaginiense apud S. Cyprianum, ubi Nemesianus ex iis probare contendit, cavendum esse hereticorum baptisimo, ideoque illud esse invalidum et irritum, qui fuit error S. Cypriani et totius illius Concilii. Clemens vero, lib. III *Pædag.* cap. II, ad litteram de meretrice exponit: « Ab aliena, inquit, aqua abstinere, et ex fonte alieno ne biberis, titillantis sensum delectationis flumentum nos vitare admonens, ut vivamus longo tempore; adaugeantur autem nobis anni vite, sive alienam voluptatem non venantibus, sive etiam hæreses declinantibus. » Hinc notat auctor *Catena Græcor.*: Sicut, inquit, apud Deum est fons vite, ita apud diabolum est vena vel fons mortis. Rursus, ut fons Dei est virtutis et agnitionis, ita fons diaboli est nequitiæ et inscitia. Verum hæc omnia absunt ab Hebræo, Latina Vulgata, et Græca Complutensi. Quare certam S. Scripturæ fidem non obtinent.

SECUNDA PARS LIBRI.

Hucusque porrigit se encomium et parenesis, sive exhortatio ad sapientiam, quo Salomon laudans, dotes et fructus sapientiæ recensendo, inculcando et exaggerando, omnes ad eam invitavit et inclavit. Posito ergo hoc quasi proemio nunc ipsas Parabolas, id est gnomas et dogmata sapientiæ, sive Ethicæ, tradere aggreditur. Igitur hæc secunda pars inscribitur hebraice *משלי מילה*, id est *Parabole*, id est gnomas, et sententiæ præcæcæ Salomonis (1), quæ in Hebræo velut carmina et rhythmi perlegantur sunt, tum antithetis, tum chiasmatis, tum homioplolis, sive similiter cæcibus, aliisque schematibus, ac sæpe posteriori nemistichium oppositio est prioris: licet subinde tacite duntaxat et obscure per metonymiam, qua

ex causa effectum, et metalepsin, qua ex antecedente consequens oppositum, aut vice versa ex consequente antecedens, vel comitans, oppositum subintelligendum lectori relinquit. Exempla dabo cap. X, vers. 6, 8, 9, 13, 14 et sequent. Crebro enim opponit sapientem stulto, justum impio, strenuum pigro, divitem pauperi, ac generatim virtutum vitio, virtuti sua præmia, vitio suas penas annectens. Sunt tamen nonnullæ gnomas merae parabole, id est similitudines, quibus unam rem, v. g. virtutem, alteri comparat et assimilat; quædam etiam sunt non tam de moribus quam de eventis hujus vite, quæ scilicet certos status, officia, actiones in hac vita comitari, vel subsequi solent, sive frequenter, sive nonnunquam. Insuper nonnullæ sunt comminatiores, aliæ promissorie, quædam ethicæ, aliæ œconomicæ, aliæ politice, ut dixi in Prologo. Denique gnomas hæc mixtum et disparatæ sine ordine proponuntur et commiscentur, uti fit in distichis Catonis, P. Syri aliorumque veterum Gnomologorum. Unde Hugo ad caput X: Hoc caput, inquit, æque ac sequentia usque ad caput XXV, tot habet partes quot parabolas; quare hic connexio non est querenda, nec capita in certas sectiones dividenda.

(1) Mithme vero, ait Rosenmullerus ad h. l., qui illam (inscriptionem) apposuit, indicare voluisse cæcendans est, quæ præcedunt non esse Salomonis; sed præmisit eam indicandi novi generis dicendi ergo, quippe singuli versus in iis quæ sequuntur singulas plerumque absolvunt sententiæ, quarum una raro coherat cum altera, ita ut per antithesin, per simile aut comparationem res eadem declarent in quælibet seorsim versu. » Alexandrinus interpres, nisi librariorum peccato ea parte truncatus est, hæc inscriptionem aut non legit, aut non dignatus est suo libro inferre, quod Sapientiæ orationem continuari existimaret.